

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0248

0246

0252

0242

0257

0237

0297

0197

0347

0147

0747

Ende

Anfang

236

passione et resurrectione Domini. Credo enim, quod Christiani
non mutassent loci dispositionem, si Adrianus imperator hoc
non fecisset.

Hic Caesar anno Domini 119 venit in Jerusalem jam
aliquid per Christianos et Judaeos reaeditatam et iterum
Judaeos interfecit et vendidit et extra territorium expulit et
novam civitatem Jerusalem extruxit, vetera dejiciens, quam
et ampliavit, et fossatum intra civitatem et locum passionis
Christi et hortum sepulchri complanavit, coaequans terrae
reliquae, et circumduxit murum includens eum locum inter
ambitum civitatis, quia audiverat locum esse sanctum et coli
a Christianis. Sed quia gentilis erat et idololatra, voluit ibi
honorari deos suos, et exstructo grandi templo Calvariae rupem
inclusit et sepulchri dominici specum. In rupem autem Cal-
variae ad locum, ubi fixa fuerat crux sancta, locavit statuam
Veneris, impudicissimae meretricis, et in specum dominici
sepulchri posuit idolum scelestissimi Jovis. Unde factum est,
ut locus, qui fuerat prius Christianis celeberrimus, fieret iis-
dem exosissimus. Mansit autem locus ille sub ista prava
dispositione centum octoginta annis, usque ad tempora Con-
stantini Magni et sanctae Helenae, sicut habet Jeronymus
epistola ad Paulinum, quae incipit: Bonus homo. Et habetur
in secundo volumine L. 3 fol. 210.

Anno Domini 313 converso ad fidem nostram Constantino
et Helena, ipsa mulier crucis cultrix effecta Jerosolymam
venit et locum mortis et resurrectionis Domini in profano et
immundissimo templo reperit, unde zelo Dei accensa idola
ejicit et templum funditus eruit, scopulum Calvariae et petram
sepulchri mundavit et per laboriosas terrae ejectiones in pro-
fundum fodi fecit, ubi pretiosum lignum sanctae crucis cum
aliis passionis Christi insignibus invenit, ut supra fol. 114 et
115 et 130 relatum fuit. Cumque haec nota fecisset filio
Constantino, statim expensas misit, et Maximio, tunc Jeroso-
lymarum episcopo, mandavit, in loco illo sancto celebre
templum facere ad votum matris suaे Helenae. Sicque in-
choatum est opus grande et perfectum, et templum magnum
erectum cum pretiosissimis ornamentis, ita, quod non erat
ei simile in orbe, et multi judicabant pretiosius hoc templum

